

B. N. II, 173.  
h. 48, 6.

X 1862408

Q. D. B. V.

II h  
466

Incliti Senatus Philosophici

Consensu

DISSERTATIONEM

De

# TORNEA- MENTIS,

Bon

Ritter-Surnieren/

Publico Eruditorum Examini  
subjiciunt

M. FRIDERICUS SCULDETUS,  
Lipsiensis,

&

FRANCISCUS Rier / Gitzinensis  
Bohemus, Philos. Baccal.

Ad d. ult. Decembr. Anno M. DC. LXXXIII.

H. L. Q. C.

---

LIPSIAE,

Literis JUSTINI BRANDI.



FLORENTISSIMÆ REIPUBLICÆ  
LIPSIENSIS  
PATRIBUS CONSCRIPTIS  
VIRIS  
Præ-Nobilissimis, Magnificis, Ampliss.  
Excellentissimis, Consultissimis, Prudentissimisq;  
DOMINIS  
CONSULIBUS,  
PRO-CONSULIBUS,  
Cæterisque Ordinis Senatorii Membris  
Splendidissimis,

DOMINIS, PATRONIS ac PROMOTORIBUS  
æternum devenerandis

exiguum hocce Academicorum studiorum  
Specimen.



cum omnigenæ prosperitatis voto  
humillimè offert

Cliens devotissimus

M. FRIDERICUS SCULPTETUS, Lips.



J. N. J. A.

Th. L.

**T**orneamentorum vel Tornamentorum nomen sive prognatum è Germanico *Torner* / *Turnier* / *Turney* / sive Torneamento & Turniamento Italorum , sive è Gallorum *tourner* aut *tournoyer* , aviam tamen Latinam , Abaviam Græcam Lingvam agnoscit, cùm illas voces à tornare omnes, hanc verò <sup>anno 178</sup> *torneaueri* descendere haud obscurè deprehendatur , torneamenta etiam vi vocis nihil aliud sint , quām tortuosa ac in gyrum tornata velut equestria exercitia.

II.

Ut idèò convenienter minus illi faciant , qui à Tyrone , sive Tyrocinio vocabulum illud deductum volunt , nominatim *Otto Frisingensis Lib. 1. de gest. Friderici I. cap. 17. Goldast. Tom. 1. part. 1. rerum Aleman. ad c. 9. fol. 221.* & ex eodem *Wehner. in observat. pract. verb. Turnier p. 632.* illi quoque acu rem non tangant , quibus cum *Cuspiniano Diarii sui p. 631. Albino in der Meissnischen Chroniken tit. 10. p. 231. Hoffpiniano de Origin. Festor. p. 151.* 6. persusum est , exercitia hæc Trojamenta prius , & postea corrupto vocabulo Torniamenta vocata esse , indeque Latino magis nomine ludos Trojanos appellari debere . De quibus omnibus prolixè legi potest perstringens præsertim hoc ultimum *Limnaeus f. P. Lib. VI. Cap. V. à §. 1. ad 7.*

III.

Incunabula verò nominis hujus cuinam strictim seculo veniant adsignanda , non adeò liquet. Uno è barbaris cœpisse , ipsa res loquitur. Primùm illud de ludis equestribus ab Henrico Aucupe per Germaniam institutis atque iteratis sèpius ad Annum

usque natū Servatoris 1487. nuspia autem de ullo alio ante id tempus celebrato usurpatum inveni : Benè tamen , quanquam rarius , aliis aliarum nationum hastiludiis sequiore tempore habitis nomen Torneamentorum ab Autoribus tributum obseivatur.

IV.

Quamobrem cum præcipue de Nobilitatis Teutonicæ solenioribus belli simulacris adhibeatur, versabitur quoque circa eadem dissertationis hujus cardo: Illa verò natalem suum Autore Henrico I. Aucupe alias dicto nocta esse, apud omnes ferè in confessio est, ita tamen , ut quoad annum Decimi Seculi , quo Henricus imperavit , autores inter se discrepant , *Albino c. l. DCCCCXXXV. Münster L. III. de Germania c. 454. p. 897. DCCCCXXXIX. Georgio Rixnero DCCCCXXXIX.* annum adsignantibus. Sed cum Henricus anno jam tum DCCCCXXXVI. morte sit abreptus *Vid. Cris. Annal. Suevicorum Part. II. c. 1. p. 101. & Compend Hist. Eccl. Gothæ Lib. II. c. 4. Sect. 2. p. 517.* quem tamen *Franciscus Modius Pandectarum Triumphalium Tom. II. Lib. I. fol. 15. seqq.* ubi ex professo de Hastiludiis per Germaniam tractat , primo Magdeburgi celebrato Torneamento interfuisse memorat , filium quoque Othonem in Imperio Successorem depugnantium partes Ducis Thuringiæ titulo tunc temporis sustinuisse perhibet , cum *Albino* statuendum erit , judicante ita *Limnae l. c. §. 12.* Quâ ratione ipse itidem *Modius* in Chronologia putandus aberrasse , utpote primum istud Magdeburgense hastiludium ad annum DCCCCXXXIX. *ibidem fol. 11.* referens.

V.

Litem hic nobis movet *Pancirollus Rerum Memorabilium Lib. II. Tit. XX. p. 289.* inventa iudicra ista belli simulacra à Manuele Comneno Imperatore Constantinopolitano esse tradens , nititur autem Nicetæ Choniatae autoritate , locus exstat in *Annalibus ejus Lib. III. rerum à Manuele Comneno gestarum p. 54.* atque legi exscriptus potest apud *Limnaeum l. c. §. XI.* Qui etiam ipse *Limnaeus* proximè præcedente §. Torneamenta ab Henrico Aucupe primùm quidem in Germaniam invecta , non verò inventa pronunciat adducto in primis *Andre Fauym en Theatre d' honneur & de Chevalerie liur. X. chap. III. p. 1447.* cuius verba Gallicè & Latinè ibidem adducit , quæ in compendium missa hæc ferè sunt : Errorem effe

esse popularem, dicere: inventionem Torneamentorum ex Germania provenire & cœpisse tempore Henrici cognomento Aucupis, cùm ejusmodi exercitia militaria Germaniæ nunquam visa, nec cognita, nec in ea habita unquam, sed Gallis & Anglis ordinaria.

VI.

Sed quod ad *Pancirollum* (1.) Nicetæ locus amplius nihil probat, quām quod Manuel Comnenus aliquando præsentibus quibusdam Italicis militibus ludicrum hastarum instituerit certamen. (2.) Manuela torneamentorum inventionem perperam vindicaret, quippe qui integris duobus post Henrici in Occidente obitum seculis Imperii Orientalis habenas capessivit, videlicet A. C. 1138. ut est apud *Cluverum Epitomes Hist. Totius Mundi* p. 491.

VII.

Pariter à scopo aberrant postremi duo: aut enim intelligunt absolutissimam illam Torneamentorum Germanis usitatam rationem, aut quemcunque conferendorum armorum in Torneamentis adhiberi solitorum modum: si posterius hoc falsum est, ejusmodi militaria exercitia Germaniæ ante Henricum nunquam visa (α) quia probabile non est Germanos Anglis ac Gallis gloriæ virtutisque bellicæ antiquitate multò præstantiores, rudiores illis, in bellicis equestribusve fuisse exercitiis, præsertim cum (β) iisdem, quibus Angli & Galli usi sunt armis, atque eodem eorundem, ut consequens est, exercitio. (γ) Quoniam Henricus Imperator post devictos Hunnos, antequam Philippi Silentiarii ejus de Anglorum Gallorumque hastiludiis relatio exposceretur, sàpe belli simulacra exhiberet & prolusiones in armis decurionesque tám in equis, quām pedibus, perinde ut illud apud istas nationes se idem Philippus vidisse memorat: Evolve *Francicum Modium* l. c. fol. 5. & 6. Accedit (δ) Quod Philippus oblectamenta armorum solenniora d. fol. 6. Imperatori dissenserit, ob hanc rationem, quoniam virtus eorum omnium, qui expeditionem in Hunnos unà fecerant, in veris certaminibus satis inclinisset: Oportet igitur Germanos ante certamen in armis ejus seculi equestribus fuisse exercitatos.

VIII.

Sin prius innuunt, contrarium potius obtinet, scilicet Anglos & Gallos ordinatissimam Torneamentorum rationem & disciplinam Germanis ferre debere acceptam, & omnino Henricum Aucupem

A 3

eius



ejusdem & autorem existisse & inventorem. Quod ipsum etiam  
objectione illa : Philippum Togatæ militiæ hominem ideò ad Con-  
silmum de Torneamentis communicandum adhibitum esse , quod in  
exteris ea , Anglicis puta & Gallicis , terris sàpius exhiberi viderit ,  
legesque observari in iisdem solitas diligenter & cum cura notarit ;  
non tam destruitur , quam confirmatur ; cum quivis facile intelligat , id factum ideò , ut inspectis aliarum Nationum ritibus atque  
statutis optima forma minus ordinatis hactenus Germanorum Tor-  
neamentis posset accommodari , pari ratione , quemadmodum  
nonnunquam Respublica antiquior à recentioribus aliis leges mutu-  
atur.

### IX.

Fuerunt tamen quibus adminiculantibus Auceps fœtum il-  
lum Torneamentorum edidit ; Præcipui erant Collegæ Quatuor-  
virales : Conradus Palatinus Rheni , Hermannus Dux Sveviæ ,  
Berchtoldus Dux Bavariæ , Conradus Dux Franciæ Orientalis ,  
penes quos Imperii IV. Principes summa rerum in Hunnica expedi-  
tione fuerat. Hi pro se quisque jussu Imperatoris tres optabant  
spectatæ ac equestris viros dignitatis , quibus & ipse totidem Im-  
perator jungebat , quorum nomina *Modius c. l.* exhibet. Hoc  
etiam Quindecimvirale Collegium Consiliarii cujusdam ac Syndici  
velut loco memoratum modò Philippum Imperatoris Silentiarium  
adhibebat.

### X.

Ab his omnibus res ita fuit perfecta , ut laudatissimus Im-  
perator primum articulum sive caput legum in ludis equestribus  
observandarum sanxerit : Quatuor deinceps alias ex ordine dicta-  
rint Palatinus , Svevus , Bavarus & Francus. Totidem constituti  
à Quindecimviris : Sextus autem consignandus relictus fit Mei-  
nolpho ab Erbach , Carolo ab Hohenheuuen , Georgio à Wolf-  
fartzhausen , Ernesto à Grumbach , qui reges , prima vice institu-  
torum Torneamentorum , primus nomine totius Nobilitatis Rhe-  
nanæ , alter Svevicæ , tertius Bayaricæ , Francicæ ultimus , exstite-  
runt. Qui simul Decem Articuli , uti diximus , & à quibus dixi-  
mus , concepti Silentario Philippo examinandi & corrigendi oblati  
sunt , qui alias ipsis duos adjecit.

### XI. Hæ

XI.

Hæ igitur bis senæ quasi tabulæ , quas ordine recensuit *Modius* c. l. à fol. 7. usque ad 9. *Limnaeus* quoque Germanico idiomate è *Rixnero* adjunctis simul dubitationibus quibusdam de authentia earum exhibit l. c. p. 105. segg. cùm ad finem essent pertextæ , Imperator præsentibus Imperii Principibus prælegi sibi in *Gynecæo* easdem jussit , cumque sentiret , toti eas Concilio probari , statim legis vim ipsis dedit , quibus observantia in decursionibus esset præstanda.

XII.

Consideratis ita Torneamentis prout erant in fieri , ulterius jam , ut in esse sunt , ea contemplabimur. Vix autem clarius egregia hæc ac regia verè oculis nostris exercitia subjiciemus , quam si & materiale eorundem & formale excusserimus.

XIII.

Materiale verò aliud personale , Reale aliud occurrit. Personæ sunt vel indicentes , vel Dirigentes , vel pugnantes , vel Ministrantes , vel Honorariae. Personæ , quibus jus torneamenta indicendi competit , illud vel absolutum habent vel communicatum. Absolutum non nisi Imperatoris est. Vid. *Limnaeus* l. c. p. 126. § 23.

XIV.

Communicatum alii obtinuerunt immediate , alii mediate. Immediate Principes & Nobilitas IV. Imperii Circulorum , Rhenni , Svevici , Bavariæ & Franconici. Provocarunt enim ad tales prærogativam ex singulari Henrici Aucupis concessione sibi competentem , cum in Nono Gothingæ facto torneamento Saxones inaudita & insolita quadam præsumtione & licentia omne jus sibi vindicasse incusarent , referente *Modio* c. l. fol. 46.

XV.

Mediate Reges Ludorum , quatenus illi , postquam in torneamento aliquo ultimo electi erant publiceque renunciati nomine integrorum Circulorum potestatem habuere futurorum proximè Hastiludiorum locum & diem determinandi. Evidem quartum ordine Torneamentum Ridacus , ( Ridaczerus sed malè *Limnaeo* vocatur d. l. §. 26. p. 127. ) Misniæ Marchio & Comes Mersburgensis , Quintum Marchio Saxonie & Brunsvicensis Ludolphus , Nonnum Ludolphus , Dux Saxonie ac Comes Supplimburgensis indexerunt;

rant ; Quoniam verò dicti illi omnes ad unum sententiam suam de instituendis ludis , imò totam eorundem rationem cum Franconici Circuli regibus non solum communicarunt , sed reliquorum etiam è tribus aliis Circulis , regum consensum impetrare opus habuerunt , extraordinarium quid fuisse cendum erit . Vid. *Modius* c. l. fol. 28. 30. & 44.

## XVI.

Dirigentium quoque munere præ cæteris iidem defuncti sunt reges sive præsides ludorum , die erwahlte untern Turnier Bögte . Eorum quippe erat ( 1. ) curare , ut locus torneamento rum æquabilis fieret , riteque præpararetur : ( 2. ) de salvo conductu , hospitiis , & cæteris necessariis rebus depugnaturis prospicere . ( 3. ) Die Decursionis nomina eorum , quibus animus & licentia decurrenti , recipere & matriculæ inserere . ( 4. ) Iustificationi armorum & partitioni gallearum adesse . ( 5. ) Inter funes ; dum torneamenta fierent , consistere cognoscendi ac judicandi causa , si quid forte legibus adversum committeretur . ( 6. ) Ludo absoluto testimonium decursionis scripto comprehensum potentibus dare . Quanquam finito ludo ipsi etiam reges hi , novis ad hoc officium designatis rationes administrationis suæ reddere tenebantur , præsentibus ex quovis Circulo ad minimum tribus , qui iis ludis decurrerant , qui etiam acta regum suorum subscriptionibus suis & signis communire solebant . Quemadmodum hæc ita hinc inde collecta legi possunt apud *Limnaeum J. P. Lib. VI. Cap. V. §. 116. seqq. p. 159.*

## XVII.

Herolti insuper erant constituti , quibus præsentibus interfuturi hastiludiis nomina apud Reges profiteri , ii verò , qui defuncti certamine tuerant , testimonium pugnæ à regibus ludorum rogare opus habebant . Nec minus Moderatorum ludicræ Disciplinæ , Curatorum item ad septa mentio injicitur , quorum hi funes incidere atque ita viam decursus aperire , animadvertere etiam in eos solebant , qui animadversione dignum quid admittebant ; Illi verò debito tempore tubâ receptui signum dare jubebant . Quamvis *Limnaeus l. c. p. 160. §. 119.* suspicetur , eosdem hos cum Heroltis fuisse . Quem vide , ac prolixius quidem tractantem hac de re *Modium c. l. fol. 13. & seq.*

## XVIII.

### XVIII.

Præcipuum verò , quod ad scopum nostrum proprius accedet , erit , ut Depugnantium in Torneamentis agmen perlustremus . Eorum alii Dirigentium simul ac certantium , Ducum scilicet functi , gregariorum alii munere . Duces erant ( 1. ) Imperator & ( 2. ) Reges circulorum supremi , die Obern Turnier Vōte . Et si qui aderant alii Imperii Principes . ( 3. ) Reges Sodalitatum . Quivis enim ē Quatuor Circulis v. g. Rhenanus distinguebatur in Superiorem , Medium & Inferiorem , vocabanturque partitiones illæ Sodalitates . Pro divisione autem illa tres cujusvis Circuli Sodalitatum constituebantur Reges , quorum quilibet certæ cuidam pugnantium turmæ præserat , certoque aliquo signo v. g. Cygni , Leonis , Equi , Coronæ &c. quoad galeam ornatus apparebat , quod signum quicunque Sodalitatis ejus conspiciebantur complices , pariter præ se ferre tenebantur .

### XIX.

Taliū Regum in secundo demuin Torneamento mentio fit ; Fuisse autem Sodalitates jam tum in primo haud obscurè colligitur ē Modio illud describente , quamvis non certis sub signis extiterint , quæ secunda demum cura invenit colligente ita ipso etiam Limnæo l. c. p. 132. §. 47.

### XX.

Quoniam verò Imperatoris Regumque ac Principum magni nominis partes in Torneamentorum pugna nonnunquam fuisse dictum , quæstio haud inconveniens movebitur : An Hujusmodi personis sit consultum , ut in ludicris talibus certaminibus arma ipsi conserant . Evidem Ducis præsentiam in bellis multùm facere ad vincendos hostes vel inde liquet , quod Brabantini semper alias à Bartholdis Grimbergensium Dynastis superati , ejusque causam , quod Dominum ipsi suum secum non haberent , reputantes , quamprimum Ducem infantem in castra deportarunt ac conflictus tempore in cunis argenteis jacentem inter duas arbores in conspectu totius exercitus suspenderunt , trium dierum prælio omni posteritati memorabili hostes profligarint , prodente Gregorio Richtero in Axiomatibus Histor. aximote CCLX. p. 512. seq. Nihilo secius tamen cum incomoda ex interitu aut captivitate tanti Principis , quorum utrumque facile accidit , longè sint graviora Reipublicæ ,

B

quam



quam quæ ex præsentia ejusdem proveniunt commoda , haud exiguus eorum existit numerus , qui negant , Majestaticas personas castra sequi decere . Animadverto Reges Galliæ quando ipsi exercitus duxerunt , frequenter in discrimen adductos . Captus Ludovicus IX. cognomine Sanctus , vid . Samuel Pufendorf . in der Einleitung zur Historie cap . 5. p . 348. item Johannes rex ibid . p . 358. pariter Franciscus I. ibid . p . 394. mortuus etiam ex vulnere in obsidione Rotomagi accepto Antonius Rex Navarræ ibid . p . 413. Quantò magis igitur à torneamentis , quæ olim in Gallia principibus sangvinis prohibita fuere juxta Limnaeum J. P. Lib . 6. c . 5. § . 43. seq . p . 131. debebunt abstinere , quoniam ( 1. ) si non patratæ cædes , vulnera tamen in plerisque hastiludiis quibusdam concertantium sunt inficta , idque infortunium regibus quoque obvenire posse , Henricus II. Galliarum Rex tristi exemplo suo confirmat , lege Tomo II. Pandectarum Triumphalium Modii Librum II. de que Regis dicti ex vulnere obitu ibid . fol . 191. & ( 2. ) si majestaticis personis in bello non pugnandum , talia tanto cum periculo conjuncta exercitia supervacanea videri possunt.

## XXI.

Verum enim verò Henricus Auceps in primo , Conradus II. in Sexto ; in Septimo Henricus III. ac in Duodecimo Henricus VI. Romani Imperatores omnes , depugnarunt , Regum regiorumque filiorum catalogum brevitatis causa jam non pertexam : Posse quoque ludicris ejusmodi certaminibus interest , facile concesserim , modò non incogniti depugnant , nec cum iis , qui armorum tractandorum ignari , quò ratio eorum haberi possit , quemadmodum Conradus II. intecto capite solius Diadematis sui umbra communicus in arenam descendit , ut habetur apud Modium Tom . II. Lib . I. fol . 34. Pericula quippe tunc evitari poterunt , perinde ac in vegetationibus , quæ ob conjuncta sèpius pericula ideo principibus non indigna æstimantur.

## XXII.

Gregariorum turba qui certabant in Torneamentis minimum Nobilium erat , neque tamen promiscua , sed oportebat eos , qui in numerum eorundem volebant recipi , certo velut instructos esse charactere . Is continebatur in quibusdam articulis sive legibus , in den Turnier Articulis / quarum conditores supra th . IX. & seq .

& seq. sunt adducti, quasque suse recensitas exhibet *Modius* & *Linnæus* locis th. XI. citatis. Breviter ut dicam : Indignus erat, qui admitteretur ad torneamenta Nobilis (1.) blasphemiae in Deum Ecclesiamque reus. (2.) Qui adversus mandata Imperatoris Imperii-que fecisset constitutiones (3.) qui virginis aut foeminæ alicujus si-ve pudicitia sive famæ vim intulisset. (4.) Perfidiæ aut perjurii la-be notatus. (5.) Quem constabat proditorem, aut fugæ in prælio autorem, aut segnem fuisse in defendendis ab omni vi civibus, quos defendere poterat pariterque debebat. (6.) Parricida. (7.) Sacrilegus (8.) Prædator, quive alios vel bona eorum modis illi-citis lædere haud dubitasset. (9.) Qui superioribus insciis terra ma-riique novas imponeret exactiones. (10.) adulter æquè ac raptor virgi-num præsertim Vestalium (11.) Mercator ac fœnerator (12.) No-nus Homo i. e. qui ex paterna & ex materna linea quatuor insignia (Heerschilde) non haberet, der kein vierschildiger von Adel. Confer *Theodor. Höpingi de Jure Insignium Cap. XI.* à p. 735. ad 741.

### XXIII.

Insuper non spurii tantum, sed illi quoque, qui à stirpe no-biles duxerant ignobilem uxorem, pariter quoque filii ex inæ qualibus hujusmodi nuptiis nati nepotesque in tertiam usque generationem sunt rejecti juxta Statuta Primi Torneamenti enumerata à *Modio* c.l.fol. 12. Quam bene verò, quamve male recensiti articuli propositi sint excutere velle prolixum nimis foret; præststit illud laudatus sâpe *Linnæus* l. c. à p. 134. ad 151. qui etiam p. 108. dubium, quod leges hæ su-spectæ ideò videantur, quoniam plurima facinora graviora sint, quam ut pœna exclusionis à torneamentis sufficere possit, ita diluit: apud ve-teres Germanos capitalium & criminalium delictorum pœnam usitatius pecuniariam fuisse, ac nihilominus tamen, utut eorum patratores Magi-stratui ipsam luerint, prohibitos eos fuisse ab hisce hastiludiis. Neque ve-rò cuilibet Nobilium etiamsi nulla ex superi⁹ enumeratis laboraret ma-cula, protinus ad torneamenta accedere fuit integrum. Ne enim nume-rus decertantium nimium ex cresceret, unus tantum pro totius alicujus familiæ honore ut decurreret, sanctum erat, exceptis si qui essent, qui jam ante equestri dignitate condecorati pro serem peculiariter gerendi haberent potestatem, referente *ibidem Modio*.

B 2

XXIV.

## XXIV.

Ministrantium in Torneamentis alii inserviebant Dirigentibus Personis, pugnantibus alii. Illi dicti sunt servi publici (die Stäbler oder Gesellschaft Knechte) quorum singuli singulis erant Sodalitatibus, insigniti eodem, quo gaudebat Sodalitas signo, puta animalis vel alterius cuiusdam rei: Quibus id injunctum munera præcipue fuit, ut si quis legis cuiusdam reus, indeque pœna dignus in Sodalito aliquo ludis equestribus se immiseret, eundem uni ex Heroltis indicarent, proque horum arbitrio pœnam de ipso sumerent. Confer *Modium* fol. 12. & 23. His posterioribus sui ad manus erant servi hoc tamen cum discrimine, ut nemo comitior prodiret, quam sextus in equo, si Comes esset, quartus si Baro, tertius si Eques, secundus si ex Nobilitate quilibet. Hi id agebant in certamine, ut eqvum, cui Dominus insidebat, contra adversarium adducerent pugnaque functo Domino ipsum reducerent: Erat autem cautum tūm pro certantibus, ne servus manum in fræna ejus, qui cum Domine suo adversâ concurreret fronte, injiceret, tūm etiam pro ipsis servis, ne adversa pars ictus quosdam iisdem intentaret spe facilius devincendi antagonistam servo ductore destitutum. Lege *Limnæum* d. l. p. 119.

## XXV.

Honorarias personas voco, quod honoris causa torneamentis adfuerint. Atque illæ in primis quidem fuere Uxores Virginesque ac Viduæ Principum è prosapia Nobiliumque oriundæ. Evidem apud Romanos aliquando fœminas in publicis gladiatoriis ludis depugnasse autor existit *Lipsius Saturnal. Sermon. Cap. IV. p. 88.* Platonem quoque per Communionem fœminarum ad perfectionem Reipublicæ futuram, non corporum intellexisse, sed operarum quarumcunque communitatē à Beccmanno proditum *Meditat. Polit. Cap. IV. §. 6.. & Polit. Parallelæ Cap. IV. §. 3.* At verò eum in finem ad Torneamenta non sunt adhibitæ, sed decurrenti proprius earum campus area erat, choreis post hastiludiorum consummationem epulasque finitas ducendis accommodata.

## XXVI.

Quæritur autem: an decorum fuerit fœminis cœtui marium tam frequenti interesse, cum mulieres se debeant domi continere l. I. C. de offic. diversor. judic. nec virorum se cœtibus immiscere l. maritus 21. C. de procurat. adeò ut si mulier Circensibus aut Theatris aut Amphithea-

theatris ad spectandum interfuerit ignorante aut prohibente Viro , di-  
vortio locus sit l. 8. §. 3. C. de Repudiis. Nov. 22. c. 15. §. 1. Novell. 117<sup>o</sup>  
c. 8. Et Respondetur , ferente ita (1.) Germanorum consuetudine , (2.)  
usu in Torneamentis recepto , & (3.) ad stipulantibus Maritis ac Parenti-  
bus , nihil ex hac re promanare indecori , præsertim cum leges priores  
longius extendantur in objectione , quam alias patent , postrema eti-  
am juxta Veterum Romanorum à Græcis mutuatum rigorem , à quo  
tamen ipsi ad ultimum destitere , sit accipienda. Utideò non inconve-  
nienter jussu Henrici I. Imp. articuli Torneamentorum jamjam appro-  
bandi præsentibus Principibus in Gynæcæo sint prælecti juxta Modium  
c. l. fol. 9. ac sceminiis id muneris in quovis ferè Hastiludio commissum ,  
ut (1.) pugnas spectarent , (2.) armilustrium insuper una cum Regibus  
ludorum susciperent , juxta Limnæum l. c. §. 40. (3.) strenuè se gerenti-  
bus gratularentur præmiaque erogarent . (4.) ad eos qui futurorum  
torneamentorum Reges electi erant , illud officium deferrent , ac de-  
mum (5.) epulantibus & tripudiantibus torneatoribus se associa-  
rent , juxta Modium fol. 18. & passim. Poterat enim illustrium fœmi-  
narum præsentia multis stimulus existere & ad pugnandum fortiter , &  
ad candidè tractandum arma. Personis Honorariis eos quoque ac-  
censebis Magnates , qui plus vice simplici non nisi spectatum vene-  
runt.

## XXVII.

Materiale Personale excipit nunc Reale. Illud absolvitur ar-  
maturâ & ornatu. Armatura , cum torneamentorum ad unum ferè  
omnia equestria fuerint , equi alia erat , alia equitum. Quoad illam  
vetitum (1.) erat , ne quis fræno , ephippio aliisque phaleris adsutum  
gestaret ferrum , quod cæsim vel punctum ad damnum aliis inferendum  
esset accommodum , quemadmodum & ipso mordaci ac calcitroso equo  
uti erat interdictum. (2.) Ne quis ephippium aut se in eo præter morem  
quibusdam instrumentis confirmaret , sed communis sellæ equestris &  
stapedii usu contentus per omnia esset dexteritate magis sua à detribu-  
tione , quam arte tutus. Modius fol. 118. Quoad hanc perindeut supra  
nec thorax nec clypeus debebat ferro munitus esse aut chalybe ; & cly-  
pei quidem non nisi lignei adhibebantur. Pariter instrumenta , quibus  
pugnabatur , clavam equestrem , hastam præpilatam & gladium opor-  
tebat juxta leges esse præparata , requirebatur quippe , ut gladii undi-  
quaque obtusi latitudo , in mucrone etiam , tres aut duos saltim cum

dimidio digitos æquaret. Caput galeâ tegebatur clausa. Vid. *Limneum d. l. p. 114.*

### XXVIII.

Ornatus in torneamentis congregientium partim necessarius, partim arbitrarius existit. Ad necessarium pertinebat signum Sodalitii, in quo pugnaturus tenebat locum, item Clinodia, quæ quidnam fuerint, accuratè nuspam evolutum invenire potui. Gentilitia tamen cuiusvis torneamenti interfuturi insignia fuisse, quibus dignosceretur haud male colligo (1.) quia aliud commodius signum discriminis, quale tamen Clinodia in torneamentis erant, adsignari nequit, & (2.) in postludio alter alterius Clinodia gladiis diloricare allaborabat. (3.) Equites Clinodiorum, ad discriminem auratorum dicuntur, quod hi signis certis ordinis sui destituantur, ut videre est apud *Reckmannum Polit. Parallelæ cap. XVI. §. 20.* Ornatus arbitrarius cristas concernebat galearum. & vestimentorum colores. Nam quoad substantiam eorum quibusdam legibus, postquam aliquandiu torneamenta fuerant in usu, fuit cautum: Nimirum ne equites auro, gemmis, vestibusque ex auro textili, aut holofericis uterentur, neve suos equos Damascenis sericisque paludamentis sternarent, non quod talia ordini huic haud convenienterent, quare thoraces holoferici, tanquam minus conspicui, gemmæ item ac torques aureæ, modò tecte gererentur, erant concessæ; sed ut tenuioris sortis nobilibus consuleretur, qui aut domi manere, aut nisi contemtui esse vellent, sumtibus se exaurire cogebantur. Confer *Modium fol. 117. & passim.*

### XXIX.

Formale Torneamentorum in ritibus consistit essentialibus: Accidentales enim, circumstantias rectius, vel adjuncta nominaveris. Ceremoniæ ac ritus essentiales alii ad ipsum actuale torneamentorum, ad depugnationem scilicet, spectant, alii verò illud antecedunt, alii conseqvuntur: Nimirum ad constitutum à se tempus & locum quatuor, totidem circulorum reges convenerunt prospecturi ad torneamenta confluentibus Nobilibus de salvo conductu, hospitiis aliisque, curaturi præterea, ut torneamentorum locus & septa rite præpararentur. Quod ubi factum die decursionis quivis pugnaturus, exceptis Regibus, Ducibus ac Principibus, nomen suum matriculæ inserendum apud dictos Reges & Heroltos tenebatur profiteri, atque arma sua cum Clinodiis, eorundem ac Gynecæi inspectioni, quæ armilustri-

um

um vocabatur, offerre. Quo facto, partitio galearum in certas Sodalitates est instituta, & cuivis Sodalito suum attributum signum, corona, Leo &c. prælecta item statuta, admonitione additâ, ut odia privata, si quæ fortè inter pugnantes existerent, seponerentur.

### XXX.

His præliminaribus perfectis reges una cum aliis *tb. XVII.* nominatis intra septa constitere defuncturi sua quivis munere, quo cum & sequuti essent certaturi atque funes à ludicræ disciplinæ Moderatoribus incisi, variis commissionibus fuit pugnatum, ita quidem ut primo clavis equestribus, aut etiam hastis tūm puris tūm pra ferratis concurrerent (hastiludium vocabatur, das Stechen im hohen Geznuge) postquam autem à Curatoribus disciplinæ ludicræ tubâ signum datum esset, gladiis res gereretur. Hinc vidisses vibrari clavas, torqueri hastas, quas alter in alterius galeam tam duriter s̄epe impegit, ut scintillæ sint excussæ, hastas unas in alterius clypeo in multa frusta comminui, quosdam deturbari ex equis, quosdam galeis nudari: observasses item gladiis Clinodia pugnantium consundi variè ac diloricari, quæ ferè omnia victorum erant facinora.

### XXXI.

Prælia hæc consequebantur præmia, arenam area: ut primum enim dato signo finis digladiationi erat impositus, illustres spectantium in numero faminæ futurorum proximè ludorum reges designabantur; Hinc gratiæ ab iis actæ, Sie theilten die Dancœ aus, neque unius illæ erant generis. Sic primo Magdeburgi habito Torneamento, primæ gratiæ actæ sunt Electis noviter ludorum regibus, secunda Imperatori Henrico aliisque personis honoratiōribus, Tertiæ iis, qui strenue pugnarant, quibus auratus insimul dono datus est gladius. Alia aliis dabantur præmia, quæ nonnulli virginibus ex quarum manu ea acceperant, inter saltandum offerebant. Quartæ & ultimæ iis ex singulis Circulis, qui omnibus armis instruissimi & apparatus magnificentia principes fuerant, quod tamen solum observatum fuisse probabile est, antequam leges latæ sunt vestiaræ. Demum sequebantur epulæ ac saltationes, ubi eam quivis ducebatur, à qua gratiarum actionem aut bravium acceperat, quo ordine verò illæ, & quomodo prælatis ardentibus facibus sint institutæ vid. apud Modium l.c. fol. 19. & passim.

### XXXII.

Adjuncta Torneamentorum sunt Locus & Tempus. Locus certus

certus in quatuor Circulis, penes quos jus torneamentorum exstitit, nullus erat constitutus, imò nonnunquam extra eosdem aliquis est electus: Præterquam enim quod I. Magdeburgi celebratum sit; IV. Martisburgi, V. Brunsvigæ, VII. Halis Saxonum, IX. Göttingæ exhibita legitimus apud *Modium*; ut adeò unica regulam videatur dedisse commoditas, quam respexisse Reges ludorum & principes, quibus jus torneamentorum erat, (nam tantum in Torneamento XIII. quatuor primariis fœminis, quod ea istud præsentia sua condecorandi causa magnos in itinere labores pertulissent, ex singulari concessione permisum, ut indicendorum proximorum ludorum, quibus vellent locis & temporibus potestatem haberent) existimandum venit.

XXXIII.

Dies quoque prorsus erat indeterminatus, neque certi torneamentorum assignati anni. Primis temporibus plurima quotannis instituta sunt, sed cum ea res ob frequentiam & sumtus Nobilitati valdè fieret onerosa, A. MCCCCLXXXV. lex posita, ut non nisi singuli annis singulis celebrarentur, sed quam statim biennio post sunt supergressi.

XXXIV.

De Numero quoque Torneamentorum, qui pariter hoc referri potest, non constat. Catalogum eorum contexit *Majolus Dierum Canicularium Part. II. Colloq. VI. p. 497. seq.* qui & traditionibus *Modii* planè conformis est: cum quibus & facit *Hofmannus in Lexico Universali* voce: *Torneamenta* subnexam seriem exhibens, ut adeò celebratum sit:

- I. Magdeburgi, A. 935.
- II. Rotenburgi, A. 942.
- III. Constantiæ, A. 948.
- IV. Martisburgi, A. 969.
- V. Brunsvigæ, A. 996.
- VI. Treveri, A. 1019.
- VII. Halæ Sax. A. 1042.
- VIII. Augustæ, A. 1080.
- IX. Göttingæ, A. 1119.
- X. Tiguri, A. 1165.
- XI. Colonix, A. 1179.
- XII. Noribergæ, A. 1198.
- XIII. Wormatiæ, A. 1209.

- XIV. Heripoli, A. 1235.
- XV. Ratisbonæ, A. 1284.
- XVI. Svinfurti, A. 1296.
- XVII. Ravensburgi, A. 1311.
- XVIII. Ingolshemii, A. 1337.
- XIX. Bambergæ, A. 1362.
- XX. Eslingæ, A. 1374.
- XXI. Schaffhusix, A. 1391.
- XXII. Ratisbonæ, A. 1396.
- XXIII. Darmstadii, A. 1403.
- XXIV. Heilbron næ, A. 1408.
- XXV. Ratisbonæ, A. 1412.
- XXVI. Stutgardiaæ, A. 1426.

XXVII.

XXVII. Landeshuti, A. 1439.  
XXVIII. Herbipoli, A. 1479.  
XXIX. Moguntiæ, A. 1480.  
XXX. Heidelbergæ, A. 1481.  
XXXI. Stutgardiaæ, A. 1484.

Sed cum ex ipso eodem *Modio* constet de indictio multorum hastiludiorum ab electis regibus termino, quorum tamen nulla post fit mentio, quod actu essent edita, quemadmodum è primo statim & secundo hastiludio apud eum liquet, collendum, plura habita esse, quam  
quot abs *Hofmanno* recensentur.

### XXXV.

Accidentium in censum pœnas quoque referre quid vetat, quippe, qui ludorum contra leges deprehensi sunt peccasse, pro delicti gravitate, vel adfecti sunt verberibus, postquam de equo ac armatura ipsorum cum iisdem esset pugnatum, septis postque impositi per omne, quo pugna durabat, tempus ephippiis inequitantes; vel planè ob omni torneamentorum jure sunt exclusi. De pœnis propter vestimentorum luxum vid. *ib.* XXVIII.

### XXXVI.

Cæterum cum res æstimari soleant finibus, de illis quoq; pauca erunt adducenda. Quod si autem curatiùs paulò omnia penpendimus, alium finem propositum fuisse primo torneamentum Autori, Henrico, alium deinde Nobilitati IV. Circulorum, Imperatoribus sequioris post Henricum ævi & quibusdam Principibus iterum alium deprehendimus. Henricus Imperator, quo tempore consilium de ordinandis torneamentis cepit; reversus erat ex ea expeditione, quâ Hunnos Gothosque sibi subjecerat adjutus suppetiis, quas plerique Germaniæ Principes viritim comparentes ipsi tulerant. Sed cum cerneret novos ab Obitritis & Hunnis motus imminere, principes autem semel dimissos difficulter ad castra posse revocari, non solum præter convivia, decuriones & belli simulacra tam in equis quam pedibus exhibuit, ut ejusmodi oblegmentsis principes apud se detineret; sed quoque ut domum discedentes commodè reduceret, invitavit ad certum diem omnes principes, comites &c. etiam exterros, ut ludis equestribus solenniori celebrandis ritu interessent: Hi igitur cum se sisterent, atque hic modus commodissimus deprhenderetur ab Imperatore cogendi ad armorum bellorumque societatem Imperii Proceres,

C

non

non desistebat ille, donecrem omnem perficeret, excluderetque Torneamentorum foetum, iis, quas adduximus, legibus involutum. Confer *Modium Pandect. Triumph. Tom. II. Lib. 1. fol. 5. & 10.* Idem interesse videtur respexitse Henricus VI. Imperator in Ludis Equest. XII. ut colligi potest ex *codem Modio* fol. 63. Quamvis haud negaverim, voluisse Imperatorem vel maximè, ut strenuiores in ejusmodi belli simulacris exercitati Germani Nobiles evaderent.

### XXXVII.

Quatuor verò Circulorum Nobilitas id, quod probabile est, intendebat (1.) ut Nobiles à desidia abstracti exercearentur in armis, quod etiam exercitium, non exclusa tamen gloria, quam plerique se etabantur, finem concertantium fuisse arbitror. (2.) ut flagitia varia, quæ tum valdè erant usitata, inter nobiles extirparentur: Quanquam & illud, ut prærogativam scilicet circa torneamentorum jus acceptam consuetudine corroborarent ac conservarent. (3.) neque postremo loco ipsis saepius fuisse propositum, existimem.

### XXXVIII.

Quod ad Imperatores aliosque Principes sequioris temporis potestate in torneamenta indicendi habentibus attinet, constat, præterquam quod modò recensisit causis vel moti sint vel eas saltem obtenderint, animi causa plerumque & ut majus decus, nuptiis, inaugurationibus aliisque hujusmodi actibus conciliarent, ludos equestris exhibuisse, nonnunquam etiam, ut emolumentum exinde aliquod, neque illud exiguum in cives urbis, ubi in arenam descendebatur, derivarent, imò verò interdum alter in alterius æmulationem. Quæ omnia *Modium* evolventi passim se manifestabunt. Legatur v. gr. d. I. fol. 30. 37. 40. 63. 110. 113. &c. Equibus colligitur leges equestrium litorum paulatim esse eversas, quod *Modius* etiam fol. 116. conqueritur, eandemque faciem eos, quam apud alias obtinebant nationes, accepisse, ut scilicet sine certis statutis in gratiam sexus sequioris, & oblectationis causa celebrarentur.

### XXXIX.

His ita præmissis solicii esse debemus de Torneamentorum aliqua descriptione. Pontifex dicit, quod sint quædam quasi nundinæ & feriæ, in quibus milites ex condito (quidam ex conducto, alii edito legunt) ad ostentationem virium suarum, & audaciæ convenire solent, & temerè congregari. *Can. I. Extr. de Torneamen.* vide *Notas in Pan-*

*in Pancirolli Memorabilium Part. II. Tit. XX. p. 289.* Sed quæ valde inconveniens & ad hastiludia sequioris ævi, ubi abusus multiplex in valuerat, videtur restricta. Aliam exhibet *Limnaeus l. c. §. 9. p. 100.* Autumarim ego: Torneamenta fuisse exercitia armorum ab Henrico Aucupe instituta, quibus Nobilitas præseruit Germaniæ, secundum præscriptas leges & statuta defungens, ad seria fortitudinis aliarumque virtutum specimina præpararetur. Ut ideo facile constet, longè aliam hastiludiorum apud alias Nationes usurpari solitorum, rationem esse, imò & superiori seculo in Germania editorum, quæ *Modius Tom. II. Pandect. Triumph. Lib. II. à fol. 192. usque ad finem ejus Libri* delineavit.

#### XL.

Coronidis loco quæritur: Annon incommoda majora fuerint commodis, quæ Torneamenta Germaniæ attulerunt, atque inde sint vituperanda? Rationes dubitandi sunt (1.) Quoniam autoritate Canonis modò citati damnantur: Quod approbat *Autor Notarum in Pancirollum d. l.* (2.) non sine periculo vulnerum ac cædis potuerunt peragi: Catalogum virorum principum in torneamentis occisorum consignavit *Limnaeus l. c. §. 131. p. 168. seqq.* Et vigesimum tertium Darmstadii habitum adeò funestum exstitit, ut XXVI. unâ clade perierint. (3.) exhatiebantur non solum principes convocantes, quorum sumtibus pugnaturi vicitabant; sed vel maximè nobiles sibi, Gynecæo suo, servis, equis, armis de ornatu prospecturi. (4.) Inter convivandum Baccho nimis fuit indultum.

#### XLI.

Sed Resp. Canonem æquè ac Pancirollum ad duella potius & abusum torneamentorum respicere: Dein Pontificem Pontifici committo, Clementi scilicet V. qui in *Extravagant. c. un.* quod de Torneamentis posuit, prædecessoris sui statutum abrogavit. Ad secundum repono, Navigatio, Metallifosoria, Tormentaria, Chymica & plurimæ artes aliæ sunt periculosæ; Ergò pariter tollendæ? Principum cædes contigere per accidens & fortè nimium temerariis; Darmstadii verò non tam Torneamentum habitum, quam justum aliquod prælium. Lege *Modium l. c. Tomo II. lib. 1. fol. 103. seqq.* Accedit, quod statutum fuerit, ut nemo nisi Deo prius reconciliatus septa intraret; inter alia quoque priusquam certamen iniretur, Heroltius pugnaturos hortaretur, simultates omnes privatas ad tempus seponerent. Quoad

C 2 tertio-

QK  
TH

466

tertium Leges latæ erant vestiarix adjectis pœnis, ut mares nulla conse-  
qui præmia possent, fœminæ nulla distribuere, utrique verò reliquis  
essent despectui, neque ad choreas in primo pari ducendas admitte-  
rentur, si qui contra fecisse fuissent deprehensi. Confer supra thes.  
*XXVII.* Neque minus de cæteris erat cautum: Id etiam quod Prin-  
ceps impendebat, in ipsius redundabat subditos cum fœnore. Quar-  
tum parili tollitur responso, cum Wehnerus *Observat. Praet. verb.*  
*zutrincken. p. 724.* prodat, mandatum suisse, ne aliquis depugnantium  
cyathos sive funditus, sive ad medietatem hauriendos propinet, aut ejus  
rei usum permittat suis servis. Vide *Limnæum p. 152.*

XLII. Sed mirari quis posset, quamobrē adeò in desuetudinē torneamēta venerint,  
ut per sesqui seculum non sint conspecta. Causas ejus rei V. adducit *Hæpingus de Jure*  
*Insignium p. 739.* Præcipuas arbitror (1.) quod legū observantia paullatim desierit: Col-  
ligi hoc potest ex *Modio fol. 116.* (2.) Quod & arma & status Germaniæ sint mutata, ita  
ut neque illorum usus ob desinentem necessitatem torneamenta requireret, neq; in-  
teresse Principum ac Circulorum illa amplius pateretur.

XLIII. In quis: Forte autem proficuum esset, si hæc Majorum iustituta pristino suo  
vigorī restituerentur, vel si saltem simile quid ad Nobilitatem in armis exercendam  
veniret usu, maximè cum *Reinhardus Comes à Solms in Beschreibung des Adels fol. 7.*  
monet, daß e wieder am Bergle chen et was anrich ten und ordnen möchten/ damit der  
Adel wieder in Tugend und Adeliche Werke getrungen und gebracht werde. Verum si-  
cuit für den Auffjügell nonnunquam veterum more belli simulacra (Turniere) hodie-  
num adhuc exhiberi contingit; ita accuratam torneamentorum rationem, prout ea  
hactenus est depicta, introducere rursus velle & supervacaneum existimandum & irri-  
tum. Neque simile quid torneamentis toti Germaniæ Nobilitati utiliter destinabitur:  
(1.) Quia illa non amplius ut olim, & ut in Polonia adhuc fieri svevit, in hostem mo-  
vet, ut ita tanti sumtus frustra à non paucis impenderentur. (2.) Quoniam arma no-  
stræ temporis sic comparata sunt, ut difficulter commoda quædam ludicra pugna pos-  
sit institui. (3.) Quod non exigua de Jure indicendorum talismodi exercitiorum sit  
futura controversia. (4.) Æmulationes nationum familiarumque nunquam magis  
quæm hodiè timendæ, gravissima daturæ damna. (5.) Status Principum hodiernus ra-  
tò admittat, ut aut ipsi aliorum eant, aut mittant nobiles suarum ditionum, sinantque  
eam multis aliis eos coalescere in unum. (6.) Impensæ longè majores futuræ sint,  
quæm commoda è velitatione paucorum dierum proventura.

XLIV. Id tamen egregium foret utilissimumque Patriæ institutum, si in quavis re-  
gione, vel Circulo saltem Germaniæ, Gymnasia nobilium fundarentur, in quibus py-  
lobolis, armis, aliisque ad bellum facientibus tractandis adsverferent: Possentque tunc  
interdum quorundam Circulorum tyrones convocari in edendis speciminibus cer-  
taturi. Videtur illud Gallia intelligere, solicitate seminaris sibi aliquando profuturis.

XLV. Vela nunc contraho, Te B. L. rogans, considerare velis, in rebus immersis  
tot ac infinitis serè circumstantiis, valdè nonnunquam dissonis, exactissima quæque  
haud proponi semper posse, ab eo præsertim, qui vice primâ ingenii vires peri-  
clitatur, atque inde æqui bonique omnia consulere haud graveris.

S D. G.

1077

nc



PUBLICÆ  
RIPTIS  
cis, Ampliss.  
udentissimisq;  
JS,  
IBUS,  
rii Membris  
MOTORIBUS  
dis  
n studiorum  
eritatis voto  
ert  
issimus  
ULTETUS, Lips.

